

fectissima, quaeso dicas mihi quando liceat hoc tuum opus exspectare, et sub quo nomine.

Dicas et doceas me oro qua in re differat *Buttneriae* character a vero, ego non vidi plantam, sed Loefflingius descripsit, quem apud me numquam vidi fefellisse. Dudum promisi me numquam assumturum characterem nisi viderim ipse plantam, ad minimum siccam, in hac sententia ex hoc characterem confirmatus sum.

*Dioscoream* descripsit Loeffling optime sub alieno nomine, laetor quod eam non pro nova proposuerim.

*Wachendorfia* Loefflingii Tuus est Hapalanthus.

*Calceolaria* Loefflingii Tuus est Hybanthus.

Ad literas Tuas absque die datas, in quibus respondisti meis d. 20. Martii dudum regessi, cum vero eas non acceperis, pauca addam.

Inclusa planta erat *Saxifraga tridactylites*.

*Cherleriae* et *Drypis* semina, si umquam queas, quaeso mittas. pulchre mihi declarasti et demonstrasti prioris characterem.

*Rhamnos* tuos *polygamos* optime ad distinctum genus retulisti, quod accipiam.

An *Burseria* Tua sit ipsissima Simaruba Gallorum in Diarrhoeis decantata? Scilicet Terebinthus Tuus.

*Cynosurum caeruleum* meum video apud Scopulum novum genus confecisse, satis a Cynosuris reliquis differt, et forte posset aptius *Airis* associari. primo vere proximo eum attente examinabo.

*Justicias* Tuas *monantheras* nunc rite intelligo.

Scribas quaeso quaenam plantae e Tuis seminibus apud vos crescant in Horto vestro; scilicet quaenam e Tuis americanis obtinuisti per propria semina apud vos, quae etiamnum vigent.

Ab Amico nuper accepi *Scopuli floram*. novam condidit theoriam Tetradyamorum, et suo exemplo demonstravit quod non succedat, inde divelluntur inter se species